

**François-Joseph Terrasse Desbillons**

**‘Annibal’**

Tragoedia  
(ca. 1743-1748)



Jan-Wilhelm Beck  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
September 2008

## Personae

Annibal

Scipio Nasica	Legati
Scipio Asiaticus	
Flamininus	
Prusias	Rex Bithyniae
Perseus	Macedoniae Regis filius
Clodomarus	Galli
Boiorix	
Lugdunus	
Aristo	Mercator Tyrius
Miles Romanus	

Scena Libyssae in Bithynia

## Actus primus

### Scena prima

Annibal, Aristo

- Ann. Has positus inter perfidae sortis vices  
Non modicum, Aristo, capio solamen mali,  
Quod te reversum, quod mihi fidum intuor.  
Eloquere vero: nullane ultra Gens meas  
Generosa, fortis eligat partes sequi? 5  
An Roma vicit? orbis an totus volens  
Ruit in catenas? an sibi solus super  
Annibal?
- Aris. inquis maior - heu! - frustra, Annibal,  
Fatis Deorum!
- Ann. quidquid iratus ferat  
Livor Deorum, ut frangat Annibalem parum est; 10  
Profugum et egentem et omnibus cassum bonis  
Vt facere possit, his minorem non potest.  
Licet ergo longus per tot actum te plagas  
Mihi servientem traxerit frustra labor,  
Edissere tamen: quo mihi stant res loco? 15  
Quid sentit orbis me inter et Romam?
- Aris. favet,  
Vbi trahit illum sortis iniustae favor.  
Hanc Dominam adorat, vindicem Annibalem velit;  
Sed causa victrix territat superingruens,  
Humilisque grandes obruit animos pavor. 20  
Decem hinc ab annis et solo et Ponto vagus,  
Quot circuivi et Asiae et Europae plagas?  
Nam, qua protervis inquietatos Notis  
Se Lybica longe maria scindunt in sinus,  
Et ad usque fines Lusitanorum ultimos 25  
Penetrare potui, dum peregrinas opes  
Revehere nostram satago mercator Tyron.  
Vbique leges Roma distribuit suas;  
Novoque fractus temperari se iugo  
Miratur orbis.
- Ann. misera Carthago, tui  
Non obtudisses ipsa conatum Ducis;  
Tyrannus orbi aut nullus aut alias foret ...  
Nihilne vero Patria ab ingrata spei  
Superest, Aristo? 30

Aris.	in Vrbe, quam circum premunt Et fata belli et triste victoris iugum, Inimica rabies factiosorum furit, Et obstinati ferrea etiamnunc vigent Hannonis odia.	35
Ann.	aeterna quondam, vix novem Tunc natus annos, odia Romanis ferox Iuravi ad Aras; nec sacramenti piget. Sed enim tam atroci cur sacramento fidem Et obligarim et, obligatam dum libet Praestare, damna pertinax tanta hauserim, Causam fuisse Patriae infidum decus, Piget hoc pudetque.	40
Aris.	nunc sibi summum putat Carthago domita quolibet pretio graves Romae imperantis posse placari minas, Pacisque foedae lege sancita, suis Licere Civibus agitare inglorios Sortem occupatam mercium tenui lucro.	45
Ann.	Ingenia novi vafra Romulidum: preces Ipsi iuvabunt Gentis oppressae irritas Vicesque miseris sponte promittent bonas, Salutem ab una ut assuescant in dies Sperare Roma. Gentis at falsae interim Animos inertes franget afflictos humi Series malorum longa; et, elusus dolis Ipse ubi querendi fuerit exhaustus labor, Tunc fraus patebit, tunc aperta vi ferus Delebit hostis reliquias populi breves Carthaginemque victor aequabit solo ... Hanc, Patria, debes proditio Annibali vicem! Hanc ultionem, ingrata, si dederis minus Vivo et fruenti, mortuo inferias dabis, Famulante Roma ... sed meus quo me dolor	55
	Mutatum adegit? omen avertant Dei! ... Scelestia, perfida et mihi, vel sic, tamen Carthago Patria est; et sibi, vel sic, meos, Ni renuat ipsa, possit impensos dies Habere reliquos ... fata sed me alio vocant. Navibus, Aristo, Perseum huc vectum tuis Et foedus olim rite iuratum mihi Patris Philippi et tota Romanis suis Devota fratris Indoles Demetrii	65
	Et ipse Iuvenis animus, impatiens iugum Subire, spondent igne ferroque aggredi Romam paratum.	75

Aris.	Gloriae cupidum tuae Tuisque novi percitum exemplis rapi Iuvenem animosum.	
Ann.	nota Gallorum truces Rediviva in iras corda, noti Teutones, Cimbrique Liguresque atque Boïorum malis Invicta virtus et animo Allobroges magis Generoso et acri quam suis tuti Alpibus: His odia populis spargere mea atque efferos Bellorum atroci concitare incendio Ipsamque meditor ferre in Italiam faces Iterum cruentas. quin meos discent brevi Induere sensus, legibus Parthi novis Domiti et recentis Rector Imperii Arsaces Fortesque Daci et Bistones torvi et, vagam Qui Tanais undam, qui Boristhenis bibunt. Quodcumque bello aut fraude Romanus furor Superare nondum potuit, adsciscam mihi; Relicta cogam spolia terrarum, traham Victi ruinas orbis et Romae ingruam.	80 85 90 95
Aris.	Annibale digna, quae moves animo, manu Praestare possis facinora ... at postquam Eumenes, Metuendus hostis, hac tua pulsus manu, Cessit fugata Classe, credideram tuis Hac deinde in Aula cuncta consiliis regi Memoremque decoris Prusiam Regno additi ...	100
Ann.	Hic se ille nostra sospitem dixit manu; Hic, cinctus ipse conscientia Procerum palam Plaudente turba, gratiis solemnibus Bene auspicatam sortis accepit vicem, Quod haberet hospes Regia Annibalem domo; Hic obligata iureiurando fides Ictumque foedus ante praesentes Deos; Auctore demum Annibale servatum Imperi Decus fuisse, hic publicum accinuit melos.	105 110
Aris.	Hic tamen, Aristo, hic Annibal tutus parum; Et, si metuere possit, hic metui locus Inter beatos, ipse quos fecit, dies.	
Ann.	Oriatur inde metus, ubi parta est salus? Ergone postquam victa libertas gemit, Fugere toto ab orbe pietas et fides?	115
Aris.	Huc Flamininus advolat belli ferens Pacisque leges: Prusias iussa audiet Vafri senatus, audiet atroces minas Et, inane Regis Rex gerens nomen, graves Trepidante super his corde concipiet metus;	120

Certusque, quidquid imperet, Romae obsequi,  
 Ipsum illa si fors victimam Annibalem petat,  
 Tradere petenti victimam Annibalem velit.

## Scena secunda

Annibal, Aristo, Perseus

Pers.	Romana Classis appulit: sacrae immemor Rex dignitatis ipse legato obviam Properavit. omnes iam vias Miles frequens Excubitor implet, in Vrbe iam tota ferae Dominantur Aquilae; hac Regia Rex in domo Mox Flamininus arbiter legem dabit, Regnare cessat Prusias. statue, Annibal, Quid praestet agere cardine hoc rerum.	125
Ann.	mori.	
Pers.	Superi! quis aures funebris pepulit sonus? Hoc statuis? Vmbras ire ad infernas cupis Inultus? huc se deiicit retro Annibal? Fugitivus ergo Regna deserui Patris Frustra? vel hostes per tot infensos mihi Tibique vix elapsus, huc demum appuli, Vt spiritus Annibalilis extremos legens Pietate inertis fungerer? fletu irrito	135
	Ignava sequerer fata properantem et sua Male obstinatum perdere usuram necis? Hunc ipsum, in omnes quem sequi ardebam plegas Ferro ruentem et igne Romanas opes?	140
	Hunc ipsum, in orbe quem esse credideram virum, Qui solus orbem iam laborantem gravi Eximere posset victor ac vellet iugo? Adeone parvo habenda momento putas Patris Philippi robora et bello horridas Macedum phalanges? Martiasque, ultro mihi	145
	Quas ipse Ductor Thraciae vires Cotys Spopondit? innumerosque Gallorum globos Te Duce paratos omnia audere et pati?	150
Ann.	Vt me iste recreat mentis excelsae impetus, Generose Princeps! iste ut animosi dolor Pectoris et acer questus Annibalem iuvant! Quam bellicosus quamque propositi tenax Nobilis inanes sortis adversae moras	155

	Superare norit Perseus, volui palam Manifestum habere. innoxiae mentis dolum Ignosce, Princeps; meque iam rerum hoc statu Cognosce totum. pectus assuetum malis Non calamitates facile vulgares domant. Mutare atrocis perfidam fati aleam Didici ferendo. quam parum mortem timet, Tam refugit animus frustra et ignave mori. Italis in agris haec quadringentas manus Evertit Vrbes terque centum millibus Romulidum avaras Tartari explevit domos: Annibalis odio sic litavit; nec satis,	160
	Vel sic, litatum est. tantus exundans crux Parum est, ut odium saturet; etiamnum sitit. Me celer in oras rursus Ausonias rapit Amor ultionis. atque ubi Capitolio Rapidam flagrantis vicit intulerim facem,	165
	Tum cincta quamlibet apparatu Mors truci Ingruat; aperto laetus excipiam sinu.	170
Pers.	Haec odia vinci nescia Annibalem decent. Ille obstinati cordis immanis vigor Et robur ipsum, quantus est, totum probant.	175
	Timidus pavescat Prusias, Romam tremens Hic imperantem adoret; oblitus sui Decoris, tibi datam transferat Romae fidem. Ignava corda, sorte mutata, solent	180
	Mutare sensus; unus heroas tenor Eademque ratio semper aequanimis regit.	185
Ann.	Hos gratus ultiro, quamdiu decuit, Lares Incoluit hospes Annibal; sed nunc meis Famulare quando Prusias collum hostibus Submittit excors et fidem forsan parans	190
	Cumulare ruptam maius aggreditur nefas, Ratum est: scelestis fraude corruptam domum Periurioque Regio infames Deos Abominatus fugio.	
Pers.	quin omnes moras Abrumpe: sortes in Macedoniam tuas Transferre propera. desere infames plagas, Contaminati desere hospitii reos;	195
	Tuaque vindicta plecte periuros fuga.	
Aris.	Non procul ab Vrbe stant mihi in tuto rates Lybissae ad oras: hinc in Altum quid vetat Abire noctu? sortis oblatae bonos, Quin age, favores, Annibal, statim occupa.	200

- Pers. Dum breve secundi temporis spatium sinit,  
Sine ipse tuto protegi incolumes loco  
Hos liberando debitos orbi dies. 205
- Non singularem fungeris fati ordinem:  
Eodem habetur et tua et Mundi salus.
- Ann. Nobis prius visenda sociorum fides,  
Quid suadeat sinatve; Clodomarus prius  
Boiorixque Lugdunusque, Gallorum Duces,  
Super his monendi. caeterum intrepidus, ferox,  
Quocumque nobilis odii stimulus vocet  
Mundoque vindicanda libertas, sequar. 210

## Actus secundus

### Scena prima

Annibal, Clodomarus

- Ann. Quibus acta numeris vita, quam varius color,  
Quot fluctuantis hauserim fati vices, 215  
Clodomare, nosti, fidus et fortis Comes.  
Casus, labores, praelia et victorias,  
Quorum fuisti magna pars, memori in sinu  
Revolve. Matris ubere ex ipso fui  
In bella raptus, esse Romanis simul 220  
Et notus et timendus incepi puer,  
Aeterna iuravi odia, se<r>vavi fidem;  
Quibus ipsa campos provida Ausonios tegit  
Natura claustris, ea penetrare institi  
Iterque sectis pervium feci Alpibus. 225  
Italiam atroci Marte vastavi, obrui;  
Populator annos quindecim totos ferus  
Terrore, luctu, clade Romam miscui  
Romamque potui vincere et Mundum et Deos.  
At molienti fata terrarum mea - heu! - 230  
Ipsa execrandam Patria obiecit moram:  
Tardas egenti mittit aut nullas opes  
Parabilesque Copias prudens negat,  
Revocat ... malorum quanta me traxit vagum  
Exinde series! quamque multiplicem tuli, 235  
Quam pertinacem sortis inclem tam!  
Clod. An, fragilis ut sit perfidam sortis vicem  
Expertus, heros desierit esse Annibal?  
Quae gravibus aucta, rigida responsat malis,  
Haec vera virtus dignaque Annibal is sinu. 240  
Nostrorum in agris Teutonom, nullam ferunt  
Merentve laudem, quos natantes ipse aqua  
Rhenus secunda ingensve Danubius iuvat;  
Sed Patria celebrant carmina insignem virum,  
Qui victor alto pectore adversos ruit 245  
Superatque fluctus.  
Ann. sortis iniustae horridus  
Quicumque circum vultus Annibalem tonet,  
Ipse irretorto lumine instabit ferox  
Imperviumque et moenibus ahenis rigens  
Quamlibet acerbis pectus opponet malis. 250

- |       |  |     |
|-------|--|-----|
|       | Fata fero misera, Clodomare; nec me pudet:<br>Fata ipsa pudeat, pudeat iniustos Deos.<br>Meas id unum me inter aerumnas gravat,<br>Quod impeditus arduo rerum statu<br>Vicemque sociis debitam frustra memor,<br>Referre cupio; nec meum quidquam licet<br>Communicare, praeter infortunium.   | 255 |
| Clod. | Sociare, vel sic, posse coniunctas manus,<br>Satis ampla merces. doleo funestam vicem,<br>Et abhorret animus fata, nec meritum, pati<br>Annibalem acerba; et illa partiri tamen<br>Idem ambit animus habetque beneficij loco.  | 260 |
| Ann.  | Si modo trecentos Indole hac magna inclitos,<br>Hoc robore animi et hac fide insignes, tui,<br>Clodomare, similes fata concedant viros,<br>Romam, ecce, certum vadere Annibalem statim;<br>Ecce, hostium armis obviam totis celer<br>Statim inde rapiat ire cupientem impetus ...<br>Tales at esse quot viros credis super<br>Annibali et orbi?  | 265 |
| Clod. | quot Ararim et Rhenum et Mosam,<br>Quot Rhodanum et Albim quotque Danubium colunt;<br>Quot hospitales nemoris Hercyni specus<br>Fortibus alumnos educant animis truces<br>Et abominatos turpe servitii iugum<br>Praesentia Hesus atque Teutates iuvant<br>Numina. latebris ipse Gentes in suis<br>Obivi et Annibalis odia circumtuli:<br>Generosa passim pectora inveni, feros<br>Passim reliqui Milites Romam aggredi<br>Pulchre obstinatos et Ducem, quaqua licet,<br>Totis paratos opibus Annibalem sequi.  | 270 |
| Ann.  | Quaecumque cupis et fortis hortator mones,<br>Clodomare, sensus omnia ad nostros quadrant;<br>Et animus ire sponte properat, quo rapis.<br>Sed enim fideles cordis invicti notas<br>Et experiri et his tueri me iuvat.<br>Solet male ominata patrare impetus<br>Facinora, virtus ipsa consiliis amat<br>Bonis moveri. Prusiam ingratum et suos<br>Hic imperantes fugere Romanos procul<br>Hac nocte meditor, mox relaturus pedem<br>Meos in hostes et fugae emendabilem<br>Cruore multo mox redempturus moram ...<br>Clodomare, propera: Perseum et Gallos Duces | 285 |

Accerse; tantis poscit expendi arbitris  
Res tanta. 295

## Scena secunda

Annibal

Ann. faustis prospера auspiciis eunt  
Ad exitus incopta. sociorum fides  
Perspecta, notus animus odiorum tenax;  
Mihique, quantum cardine hoc rerum licet  
Sperare, mollior aura fortunae favet ... 300  
Favet? favere possit Annibali Dea  
Viginti ab annis perfido illudens ioco? ...  
Culpa pudendus unica vitae tenor  
Meae laborat: Capua, quae poterat Deos  
Victore luxu frangere oblitos Poli,  
Me Capua quondam domuit oblitum mei:  
Laboriosis ulta deliciis, suum 305  
Victorem inertis Capua devicit mora.  
Capua expiavit diruta infandum nefas  
Labemque inustam desidi Annibali luit,  
Vltrice Roma ... sed brevem culpam Annibal  
Quot interim quantisque persolvit malis!  
Afflare populis institi variis meos  
Passim furores: Prusiam, Antiochum, Nabim,  
Ariathem et ambos Gallograecorum Duces 310  
Pellamque Thebasque Calydonemque et Rhodon  
In odia movi ruere participes mea  
Romaeque vires contra, aperte, clanculum,  
Rem gerere: frustra. an invidet aliquis mihi,  
Meis nocere certus incoepitis, Deus? ... 320  
Quaecumque me agitant fata, perstabo tamen;  
Quaque ire coepi, durus insistam via.  
Spes - heu! - caduca, sentio, cordi insidet.  
Imo intus aliquid, par timori vel timor  
Fortassis ipse, murmure molesto crepat  
Consilia damnans vana; et invitum monet 325  
Prope esse, ut odia ferreo nostra obiice  
Illisa pereant visque se demum exerens  
Invicta mentem Annibalis aeternum domet ...  
Quid, anime, trepidas? quid fremis? vel quae mihi  
Rapit atra nubes lucis aethereae facem? 330

Quis imminentis conscius fati dolor  
 Vrit medullas? ... me Inferi, Terra et Polus  
 Convellere imis sedibus certent simul:  
 Perstabo; mutent, si queant, caeco excitum  
 Pectus tumultu: pectori legem dabit  
 Idem usque, semper qui fuit, animi tenor.  
 Quiesce, sociis te tui similem para,  
 Annibal; eundem, quem soles, vultum in due ...

335

### Scena tertia

Annibal, Perseus, Clodomarus, Boiorix, Lugdunus

- |       |  |     |
|-------|--|-----|
| Ann.  | Adeste, socii. an satius Imperii iugo<br>Romani inultos cedere an, nostra magis<br>Virtute dignum, immane coniunctis nefas<br>Repellere opibus, illa decernat dies.  | 340 |
| Pers. | Quamcumque Mundo Roma fortunam parat,<br>Excutere totis viribus certos vides;<br>Vides paratos igne ferroque ingredi<br>In fata Romae sacrilega, quaqua patent.  | 345 |
| Boio. | Generosus orbem suadet ulcisci dolor.<br>Hoc ambit animus, fervidae hoc menti sedet,<br>Huc impetus agit impotens, huc te, Annibal,<br>Ducem praeire et regere vindictam decet.  | 350 |
| Lugd. | Iste, iste sanguis, quantus in venis micat,<br>Tibi consecratur, Annibal: norunt mori,<br>Servire Romae nesciunt Allobroges.   |     |
| Clod. | In te recumbit orbis afflicti salus;<br>Te spectat unum maesta libertas, tuos<br>Sibi destinatos, Annibal, nisus petit,<br>Vrget morantem: fortis ulti, age, admove<br>Tuamque devotasque sociorum manus.  | 355 |
| Ann.  | Idem ille - amici, credite - Annibalem ciet<br>Impetus ad arma; idemque sustentat vigor,<br>Quem Trebia, quem Thrasymenus et Cannae hostium<br>Cumulos ruentem et arva complentem ebria<br>Cruore et altos decolorantem lacus<br>Videre quondam. vegetus etiamnum rigat<br>Haec membra sanguis. sexies annos decem | 360 |
|       | Senex peregi; contigit sed enim mihi<br>Senecta viridis, cruda, bellorum capax,<br>Annibale digna. mentis excelsae calor   | 365 |

	Ardescit intus, vimque durando igneam Ipse inquietus auxit in melius labor; Animumque pugnas inter et strages virum Caede recreavit multa et invictum addidit Bellona robur. saeva me innumeris diu Terra marique traxit afflictum malis Fortuna. sed enim quidquid ulterius paret Furere obstinata, pertinax virtus suis Occurret armis tecta firmoque, ut solet, Per ingruentes ibit aerumnas gradu. Quanquam quid ictus sortis adversae impios Vltra extimescam? ponet exhaustus furor - Sperate, socii -, ponet aerumnis modum. Inimica fata, superior mente, Annibal Fregit ferendo. quem suo Iuvenem inclitum Favore quondam iuvit amplecti, senem, Nil tale meritum, perdere pudebit Deos. His vita variis acta momentis, vices Tot passa varias fluxit et, vel sic, mihi Haud paenitenda. pectus, o socii, intimum Vobis retexi; et Annibal totus patet.	370
	Spes, agite vero, tempus erat, alto in sinu Librate vestras, studia conferte invicem. Videte, quid communis utilitas ferat, Quid ratio rerum suadeat, quid fors velit, Quid ipsa virtus expetat quidve imperet.	375
Pers.	Deliberare nil opus, ubi mens agit Idem volentes una.	380
Boio.	consilii moras Odimus inertes, quando pensandum venit, Vtrumne fortes deceat imperium pati Romae pudendum an vindicem Annibalem sequi.	385
Lugd.	Tuisque nostrisque, Annibal, velle hostibus Aeterna bella fervor unanimus iubet. Quin age, volentes Ductor in pugnam rape; Insurge in arma, vince: fatali manu Asserta redeant iura, libertas, salus.	390
Clod.	Reclude atrocis ferreas belli fores Iterque signa: te Duce, armorum labor Tardare nullus, nulla tempestas potest. Sequar calentem caede; crudescant licet Frons torva Martis, densa telorum seges,	395
	Et Pavor et Ira et Mortis indomitae furor, Animosus ibo. splendidum Annibal is iubar Quocumque pulchram Glorie monstret viam, Ardebit interesse Clodomarus Comes.	400
		405
		410

Ann.	Celer iste, socii, in vultibus calidis flagrans, Micans in oculis, hauriens corda impetus Potentius agit, prosperam quam si mihi Multus Deorum spondeat sortem favor Tripodas per omnes, belli et eventus bonos Ipsamque Romae cladem et excidium canat. Ire, ire certum est, vestra quo virtus vocat. Hac nocte cupidos hinc vehet in Altum ratis; Satis ampla gemini spatia sufficient dies, Freta usque Ponti pressa Thermaico sinu Vt permeare liceat. hinc brevis est mora, Dum nos recipiat moenibus Pella inclitis; Hic renovo foedus, quod tuus, Perseu, Pater Philippus olim pepigit, iris se meis Adesse semper velle testatus Deos. Mox bellicosos Thraciae viso Incolas Cotymque Regem cieo et indigetem sibi Accendo Martem. celsa scandentur iuga, Nec veniet ille insuetus Annibali labor; Haemumque Rhodopemque Ismaronque odii notis Mei relictis in novas furias agam.	415 420 425 430 435
	Per arva rigida perque Riphaea nives Hortator adigam in praelia indomitum Scytham Getasque Dacosque horridosque Iazygas. Ingentis oras ipse Danubii legens, Turmas vagorum hinc inde populorum truces In bella rapiam; et, esse qui vixdum sciunt In orbe Romam, spolia pollicitus, tibi Mercabor hostes, Roma. tum Suevos, Quados Totosque late commovebo Ingaevonas.	440
	Vbi confluentis pronam Araris undam excipit Rhodanus, beatos Brancus hic frater tuus, Lugdune, populos lenis imperio regit; Hic sceptra quondam dum mea recipit manu Asserta, mecum mutuam pepigit fidem. Hic congregabo ex Gentibus variis feras	445
	Mihi catervas, odia compellam in mea Iurare; magno percitas demum impetu, Italos in agros, arduis ex Alpibus, Quas Iuvenis olim pervias feci, traham Capitoliumque cum suo incendam Iove.	450
Pers.	O digne Superum laudibus, macte Annibal! Iste animus ingens hominis excedit modum: Magna illa, quae te possumus Duce exequi, Consilia tacito audita concuterent metu	455

	Fera ipsa Martis corda; nec vasto tamen Maiora magni volvis Annibalis sinu.	460
Ann.	Iuravi ad Aras odia Romanis puer Aeterna ... Romam cladibus frustra obrui: Stat Roma. vivit Annibal voti reus. Ipse Pater aderat, testis odiorum mihi Auctorque, Amilcar ...	
	<i>Vrnam profert.</i>	
	patrios urna haec tegit Sequestra cineres, haec sacramenti monet Nondum expiati, hic Patris horrendum gemit Vmbra inquieta filiumque iras dolet Vovisse steriles ... rursus adsis, o Pater!	
	Adstringo rursus iureiurando fidem.	465
	<i>Ad urnam procedit, sicque deinceps caeteri suo quisque ordine.</i>	
Pers.	Per Vmbram Amilcaris et per Annibalis Caput, Aeterna Perseus odia Romanis vovet.	
Boio.	Per Vmbram Amilcaris et per Annibalis Caput, Aeterna Boiorix odia Romanis vovet.	470
Lugd.	Per Vmbram Amilcaris et per Annibalis Caput, Aeterna Romae bella Lugdunus vovet.	
Clod.	Per Vmbram Amilcaris et per Annibalis Caput, Aeterna Romae bella, vastitiem soli, Tristes ruinas, busta, flammarum globos, Clades, sepulchrum fidus Annibalis Comes,	
	In odia adultus paria, Clodomarus vovet.	475
Ann.	Irarum abunde est. facta praestabunt fidem.	480

## Actus tertius

### Scena prima

Flamininus, Scipio Asiaticus, Scipio Nasica

Flam.	Male auspicatum Prusias ipse improbat Sortis favorem eamque, quam nuper suae, Culpante Roma, lauream fronti addidit, Nunciam repudiat. Eumeni faciet satis; Iniuriasque, quas furor belli intulit, Pensare quaerit et placidus ultro bonis Ruptam redimere iam cupit pacem artibus.	485
Asiat.	Quo se tuetur Glorieae evectam gradu Potentiaeque Roma; ubicumque imperat, Populos et ipsos obsequi Reges decet. Annibale postquam fretus incassum suo Luxit suas Antiochus eversas opes Asiaque postquam subdita est nostra manu Asiaticique Roma victori dedit Cognomen, imperante quis Roma audeat Exin rebelles ponere obsequio moras?	490
Flam.	Postquam coegi callidis plenam hostibus Simulque bello fortibus plenam viris Parere Romae Graeciam, exin debuit Orbis subire reliquus et subiit iugum.	500
Nas.	Nam quo superbae conscius laudis tumor Impellit animos? quo triumphorum decus, Menti recursans ebriae, utrumque abripit? Illa, illa decora, queis potens longe arduum Sideribus infert Roma dominatrix caput, Remunerantibus merita Patrum Deis Accepta redeant. Gloriam Romae suam, Suos triumphos, Regna terrarum probi Meruere mores, aequitas, pietas, labor, Constantia, fides, omne virtutum genus. Imperia Reges in suos populos habent, Reges in ipsos Roma; at in Romam Dei,	505
	Quorum favore vincit et Mundum regit.	510
Asiat.	Nasica, virtus in tuo regnat sinu Spiratque labris. moenibus quondam suis Cum transmigranti Pessinuntium Deae Sedem pararet Roma et in fatis foret, Debere Numen optimi Civis domo	515
		520

	Hospitio haberi, censuit merito virum Vnum inter omnes esse Nasicam optimum; Materque Divum hanc laeta divertit domum, Vbi excubaret sancta virtutum Cohors.	525
Flam.	Haec multa, quae te proximum adiungit Deis, Habere virtus hospites meruit Deos.	
Nas.	Romae et Deorum nemo se donis parem Praestat; favorque saepe virtutem minus Coronat auctam, quam pigrescentem ciet ... Sed agite, cuius liceat hic sortem bonam Firmare? cuius ex mala meliusculam Facere? quibusve porrigat miseris manum, Quos siccet oculos Roma, quos gemitus levet, Statuite.	530
Flam.	Romae iam diu addictum Eumenem Et comprobata iam diu insignem fide Armisque sociis Prusias bello prior Invasit egitque in fugam victas rates, Ductore facti Annibale. Romani decus Populi petitum est, laesa Maiestas graves Super his in iras ardet ultrixque intonat.	535
Asiat.	Pavidus tonantem Prusias Romam audit Magisque tristes metuit iratae minas Quam fulminantis imminens telum Iovis.	
Flam.	Nunc sontis animos continet praesens metus, Nunc Dignitatem Regiam imminuit gravis Tonans per ora iudicum indignatio; Etiamque corde forte sincero dolor Nondum bilinguis Prusiam penitus movet Sequi paratum, Roma quocumque imperet Regina. sed enim quamdiu morem geret, Si non prohibeat Roma, quin ille hospitem Sua receptum servet Annibalem domo? Annibalem, atroci quem ciet rabie iecur In fata Romae percitumque odia omnibus Corroborata Tartari furiis agunt?	540
	Annibalem, amicos, si queat, Romae suos Eripere certum, seu via aperta seu dolis? Speratis, ubi procul inde moverimus pedem, Contra huius artes Prusias perstet diu?	550
Asiat.	Timor relictus hic geret nostri vicem.	
Flam.	Cum, qui timentur, stant procul, levus est timor.	
Nas.	Quo, Flaminine, tendis?	
Flam.	Annibalem volo	
	Tradi revinctum.	
Nas.	quo trahes?	

Flam.	Romam.	
Nas.	hoc iubet	
Roma?		
Flam.	iubet.	
Nas.	aliqui id postulant, scio. sed mihi	565
Haec Roma non est.		
Asiat.	nulla Romanae hoc petunt	
Comitia Plebis, nulla decernunt Patrum		
Placita.		
Flam.	parentes filiis orbae rogant, Suis reposcunt coniuges orbae viris, Et quisque luctus proprii auctorem cupit Habere Civis huc reductum, qua nihil Vltra nocere valeat.	570
Nas.	et Roma hoc quidem, Si decore fieri possit illaeso, velit. Suos at hostes ducere ad Capitolium Virtute domitos, non dolo captos solet Victoriasque fraudulentas abnuit; Nec minus abominetur Annibalem artibus Victum pudendis, quam suis bello truci Circum intonantem moenibus quondam horruit.	575
Flam.	Quae facere quondam potuit, ulciscor mala; Et anteverti, facere quae deinceps potest: Non indecora, non ea iniusta ultio est.	580
Nas.	Innumera nostros Annibal damna intulit Victor per agros; cladis acceptae memor, Bella et furores barbaros Poeni Ducis Olim edocebit Posteros ipsa ultimos Historia Romae. at in forum Annibalem rapi Reumque sisti, hinc liceat? an quemquam in sua Licet esse causa iudicem? rerum hoc statu Non Roma, Flaminine, quantumvis potens,	585
	Annibalis ullum ius habet; multo minus Aliquot habere Civium possint preces, Multo minus lubido, fraus, artes, doli Habere possint. arbitri veniant Dei, Litemve dirimant paribus auspiciis Deum	590
	Cumulata bella: hoc Romam et Annibalem decet ... Quid statuis?	595
Flam.	id, quod ratio suadet, fas sinit: Romam trahendum censeo Annibalem.	
Nas.	veto.	
Flam.	Frustra vetas, Nasica: morem, si minus Romae iubenti, gerere, at optanti, meum est.	600

Nas. Romaque fiat ne quid indignum, meum est  
Cavere.

## Scena secunda

<Scipio> Asiaticus, <Scipio> Nasica

- |        |   |     |
|--------|---|-----|
| Asiat. | novit Flamininus iam diu<br>Romae favores callidis emere artibus,<br>Popularis aurae studia prosequitur catus.<br>Etenim, prius quam linqueret patrios Lares,<br>Crebrum sategit in Vrbe rumorem seri,<br>Spondere sese Annibalis invisum caput;<br>Hoc liberandos esse Romanos metu<br>Nimis inquieto, sibi reservatam hanc brevi<br>Partem exequendam facili et optato exitu. | 605 |
| Nas.   | Animata quisquis corda meliori luto<br>Dignumque robur mente Romana gerit,<br>Satis esse debet, conscient pectus boni<br>Operis Deosque habere memores. hac decet,<br>Asiatice, decet ire Scipiadas via.  | 610 |
|        | Placere Superis, inclitum Romae decus<br>Anima tueri, haud indiga vitae ac necis;<br>Has Africanus ille, Romani Imperi<br>Columen Honorque Scipio nostrae Domus,<br>Excoluit artes. Patriam, vel sic, tamen   | 615 |
|        | Vocare moriens poterat ingratam, tulit<br>Sibi nocentem Romam; et indoluit minus,<br>Quod sibi noceret, quam quod Invidiae dolis<br>Decepta trahere posset indecores notas.   | 620 |
| Asiat. | Heroa in otio utilem, bello optimum,<br>Nulli secundum Gloria, Superis parem<br>Virtute, Roma suspicax potuit malis<br>Agitare rixis; nec suo passa est suae<br>Salutis auctorem in sinu placide mori.  | 625 |
|        | Qui bello Iberas fregit ac Libycas opes,<br>Cepit Syphacem, vicit Annibalem - heu, gravis<br>Memoria fratri! -, patrio caruit solo.<br>Iussum indecoros agere Linterni dies<br>Mors Scipionem funere obscuro tulit,   | 630 |
|        | Manesque tantos condit exiguis lapis.   | 635 |
| Nas.   | Fratrisque, vel sic, abstine sortem queri.<br>Ipsumque in armis Sospitatem Deum   |     |

	Ipsumque in Vrbe Patriae Brutum Patrem Imitatus, Actum Scipio vitae ultimum Complevit inter nobilis docta otii Studia omnibusque Graeciae melior Sophis Obiit.	640
Asiat.	Tribunos aggredi ingenio minus Ferocienti sciret, indocilem pati Ius imperantum Plebis animosae Indolem Vrbaniori more vivendi in suas Asserere partes nosset: hunc ultiro omnibus, Quaecumque possunt praemia heroum dari, Cumulare, laudis ac triumphorum memor, Roma institisset, prona revereri ut Patrem.	645
Nas.	Hanc Scipionis arguere culpam levem, Scelus est.	650
Asiat.	Quiritum coepit ex illo favor, Corneliorum deserens Gentem in dies, Retro referri; pervicax hostis Cato Romana nobis odia mercari studet Pretiosus emptor.	
Nas.	foeda vitiorum lues Vrget Catonis pectus; at pectus tamen, Dominator ipse austerus, imperio regit. Virtutem amare nescius sibique utilem Virtutis Vmbram fraude honorata colens, Ipsam videtur colere virtutem Cato;	655
	Aliisque vero colere persuadet, vigil Rigidusque Censor, moribusque auctam bonis Vrbem implet hacque parte laudandus venit; Et laudo gratus: ut mihi noceat, meas, Quicumque Romae proderit, laudes feret.	660
Asiat.	At efficacem si bona obtulerit modum Fortuna, atroci quo mora opponi queat Odio Catonis et simul Romae favor Veniat redemptus, has sequi artes quid vetat?	665
Nas.	Remunerantis gratiam Romae licet Bonam mereri posse sufficiat mihi, Tamen obtinere sanguine impenso velim ... Quidnam agere vero cogitas? quid te iuvet Tandem experiri? ... quae paras deinde eloqui, Audire metuo ... sed tamen mentem explica.	670
Asiat.	Cum iura belli cogerem Antiochum pati, Hanc victor, inter caeteras, legem tuli: Mihi nempe vincatum traderet Poenum Ducem. At ille spes fefellit, elapsus fuga,	675

	Measque Regisque. hinc tamen iure Annibal Meus esse coepit, et mihi hunc iure arrogo.	680
Nas.	Cur Flaminino coram omisisti tuum Ius sustinere?	
Asiat.	cur aventi iam nimis Mea occupare consilia stimulos darem?	
Nas.	Favere tibi momenta rationum putas Meliora?	685
Asiat.	repeto, quem mihi dederant prius Legitima belli iura, quem Roma hac mea Voluisset olim, et nunc velit, recipi manu.	
Nas.	Quam loquere Romam facinus hoc velle effici?	
Asiat.	Hanc ipsam, amico nixa quae Mundum regit Favore Divum; Plebem et Augustos simul Cum Plebe Patres ...	690
	<i>Tabellas profert.</i>	
	has lege tabellas: vide, Quot magna Romae capita consilium iuvant Proabantque populi vota.	
	<i>Legit.</i>	
Nas.	magna quidem videt Nasica Romae capita; Romanae tamen His nulla tabulis signa virtutis legit. Hanc esse Romam, hos esse Romanos negat ... Teque, ista, Scipio, velle si prava exequi Consilia pergis, te mihi agnatum nego.	695

### Scena tertia

<Scipio> Asiaticus

Asiat.	Nasica, mores vanus Atavorum colis Sectator: artes usus invexit novas, Iamque obsolevit iste virtutis rigor. Hac olim egenos ire Fabricios via Curiosque decuit; ire nunc alia suos Factos Nepotes Gentium Dominos decet.	700
	Mundum apta vincere rigida haec virtus Patrum Quanquam esse potuit, regere victum non potest.	705

## Actus quartus

### Scena prima

Prusias, Flamininus

- Prus. Me iusta quanquam congredi ferro impulit  
Causa ultiōnis et suas vires brevi  
Lugere fractas Eumenes posset, tamen 710  
Resigno messas et metendas, si velim,  
Repudio lauros; plus enim Romam iuvet  
Redimere amicam, dona quam, bellum mihi  
Quaecumque tandem spondeat, rapere et frui.  
Huc Pergameno missus ab Rege advolet  
Orator: una iungere socias manus 715  
Firmamque inire legibus pacem bonis  
Adsum paratus; at fidem Annibali datam  
Violare; quem hospes Regia excepī domo,  
Deserere, tradere, praesides et conscios  
Rite celebrati laedere hospitii Lares. 720  
Vtrumne vero Prusiam hoc deceat, vide,  
An potius alia oporteat lapsum retro  
Te, Flaminine, capere consilia et sequi.  
Flam. Semel receptum mente propositum sibi 725  
Abiudicare corda Romana haud solent.  
Quod petimus abs te, Prusia, expensum satis  
Superque et aequis legibus visum frui.  
Quas barbara olim caede vastator diu  
Afflixit, Italis obice iam aeterno procul 730  
Exclusus oris, patrio pulsus solo,  
Tot tamque gravibus undique oppressus malis  
Totiesque victus Annibal partem velit  
Aliquam quietis capere: securos Lares  
Dignosque tanto, en, Roma promittit viro 735  
Magisque tutos, ipsa quam nunciam dare  
Carthago possit. sed odio implacabili  
Agitatus, iras atque turbarum faces  
Miscere late et sclera bellorum impia  
Iniicere populis cum laboret nec sinat, 740  
Quibus est subactus, legibus Mundum regi,  
Asserere demum quam cupid Mortalium  
Felicitati, hanc Roma decrevit moram  
Eripere; cumque repetit Annibalem sibi,  
Rem peragit orbis et suum sibi ius rogat. 745

- Prus. Has, Flaminine, ut orbis utilitas petat  
 Ipsamque Romam deceat, impleri vices,  
 At non tamen conferre me quidquam expedit.  
 Quin imo et alias exequi partes decet  
 Illumque contra quoslibet totis virum  
 Opibus tueri, cui sacramentum dedi  
 Sociamque iunxi sponte iuratus manum. 750
- Flam. En, prodis ipse crimen iniussus tuum:  
 Annibalem, Erinnyn Romae et infestam luem,  
 Tu, Romae amicus scilicet, amice excipis  
 Dextramque iungis et sacramento ligas  
 Foedo impiatam sponte iuratus fidem!  
 Ergone bella inferre Romanis paras? ...  
 Haeres ... at ecce, ni renuis, istam levo  
 Perplexitatem. Romae in Annibalem putas  
 Ius esse nullum, nisi quod armorum dedit  
 Vis arbitra. erras: patrium ipsum ius habet.  
 Hoc crede ... 760
- Tabellas profert.*
- sacris, en, tabellis hoc ratum;  
 Transcripta Romae Punica, en, lex hoc probat ...
- Legit.*
- ‘Carthago Civis privat Annibalem gradu:  
 Vbicunque fuerit, esto Romanis reus.’ 765  
 Haec iura nobis competit; haec si tamen  
 Levia videntur, iam reponemus tibi  
 Momenta rationum alia, quae moveant magis:  
 Ille, ille, fidei qui memor pactae Annibal  
 Putatur, animo Punicos vafro dolos  
 Nunc versat; ictum foedus eiurat, fugam  
 Molitur inde cum suis Gallis. Nothum  
 Regis Philippi Perseum, has incognito  
 Recens in oras nomine advectum, novis  
 Prave studentem rebus, hinc Tyriis parat  
 Hac nocte ratibus in Macedoniam sequi ...  
 Iam statue, quid agi praestet hoc rerum statu. 770  
 775

## Scena secunda

Prusias

- Prus. Quid mente dubia pendeam? quid iam morer?  
 Molesta quae me vincla retinebant sibi,  
 Abrumpit ipse foederis laesi reus  
 Annibal: abunde est. crimen exolvit mihi.  
 Ipsum tueri desinam, ipsum deseram,  
 Nec perfidus: deserere deserto licet ...  
 Excitet in arma et sceleris hortator probus  
 Aliquis ad aures nunc mihi deinde obstrepat;  
 Inaniasque effutiens suasorias  
 Moneat, superbo Regium vinci decus  
 Splendore Romae vique dominante obrui;  
 Adeoque totis roboribus ire obvium  
 Debere Regem et frangere iugum vel mori.  
 Magnifica verba, vacua ni sensus forent!  
 Quid struere sanus audeam, tanto minor,  
 In fata Romae, cum gravi populos metu  
 Iam stravit omnes et solo et Ponto ambulat  
 Regina? furor est cum omnibus nolle obsequi.  
 Odisse Romam mihi licet, colere expedit ...  
 At iste fidei ruptor optato, en, subit.

## Scena tertia

Prusias, Annibal

- Prus. Sic perstat icti foederis memor Annibal?  
 Sic Poenus heros Punicam absolvit fidem?  
 Ann. Nihil peregit, quod sibi infectum velit  
 Annibal. iniqua perfidos quanquam obiices  
 Fortuna nostris praestruere coeptis amat,  
 Nocere constans, inde nil pudeat tamen  
 Pigeatve: satis est coepita me digna aggredi.
- Prus. Dignumne vero Annibale periuram manum  
 Iunxisse, spretos Regii hospitii Deos  
 Temerasse, laeso iure moliri fugam?  
 Neque enim, patrare quae cupis, quidquam latet:  
 Hac ipsa in Aula factiosorum incitas

	Turbam virorum odioque mercaris ferus Aliena Romae, quam mihi noster tamen Tibique amicam facere tentabat labor; Socios furentes dira quamprimum paras In bella Ductor agere, si Superis placet.	815
Ann.	quid illa vertere in probrum mihi Incopta pergis, quae, bono quanquam carent Successu, habere plus tamen laudis bonae Quam facinus ullum Regis infidi scio? Accendere odia, atrocis in Romam faces Belli excitare quereris? haec damnas? probro Haec vertis? ullos ergone Annibalis dies Abire posse innoxios Romae putas? Hoc docuit actae, quantus est, vitae tenor? Ita tibi notus Annibal?	820
Prus.	tandem feros Male obstinati pectoris sensus doma, Resipisce tandem. quo loco stant res, vide Minorque fatis cede; fulmineos caput Proiectum in ictus mente meliori retro Reflecte. leges - usque adhuc tempus sinit - Romae benignas ...	830
Ann.	caetera absolvias, cave. Provisa nobis omnia in tuto manent, Extraque sortem vursor. hoc unum rogo Ac, siquid operis contulit nostra haec manus, Quod laude dignum, quod tibi gratum foret, Hanc memoris animi, Prusia, expecto notam: Vt ne qua socios Perseum et Gallos Duces Hic fata vexent, obvium tete inferas Defensor. iste fraudis horrendae artifex	835
	Poenas Aristo morte violenta dedit Promptasque scelerataeque perfidiae impares; Hi mihi supersunt gravibus invicti malis In orbe amici: hos, Prusia, incolumes solum Repetere patrium, hos protegi contra dolos Versutiasque et scelera Romulidum precor.	840
	Nil sibi precatur Annibal: sortem suam Ipse ordinare, quo decet, norit modo.	845
Prus.	Hic agere vero nulla Romanos reor Consilia, quae non ipsa virtus suadeat, Sancta exequatur aequitas, Superi probent. Ipse adero tamen et, quam rogas, partem libens Implebo.	850

## Scena quarta

Annibal

Ann.	<p>Reges, vile servorum pecus,            Adeone vobis robur edomitum perit            Virtutis omne, humiliisque degeneres humo            Affligit animos, Roma si intonuit, pavor? ...            Populique Regesque et Dei et fraudes iuvant            Romana coepta: quid, Annibal, dubites mori? ...            Nasica monitum fecit, hic velle arbitris            Mecum remotis colloqui. incuso moras,            Rescire cupidus, Romane etiamnum sinu            Producat aliquid, prisca quod virtus probet            Nec erubescat Vmbra Scipiadae recens ...            At mihi quis horror praescius animum quatit? ...            Per varia laudum decora, spes hominum ac Deum,            Plausus librare tres viri, heroum ultimi,            Meruere, Scipio, Annibal, Philopoemenes.            Iniusta passos, fraudibus victos malis,            Idem ille nuper rapuit e vivis duos            Fatalis annus; tertius restat super ...            Sed vivere ultra, fatidica quaedam meae            Responsa mentis et ipse climacter meus            Fastidiumque lucis ingratae vetant ...            Nasica porro quid velit? ... Romae probos            Adhuc egentis colere mores hunc ferunt;</p>	855
		860
		865

## Scena quinta

Annibal, <Scipio> Nasica

Nas.	<p>An iste, muro qui ferus aheno rigor            Annibalis inter pectus et Romam sedet            Medius, amicas petere me alloquii vices            Sensemque mentis intimum et curam et metum            Communicare, vel benevolentem, sinet?</p>	880
Ann.	<p>Si fors diserta fraude verborum meos            Nasica sensus posse mutari putet,            Hanc, age, superbis qua tuae Regum solent</p>	

	Delusa corda legibus Romae obsequi, Omnem explicare copiam eloquii licet Annibale coram. non magis suasoriae Hoc pectus artes quam minae grandes movent.	885
Nas.	Praeiudicatos, Annibal, falsae impetus Moderare mentis. turpe prudenti viro Id suspicari, quod animo posthac procul Abiudicari veritas nota imperat. Quid sensa carpis, quae meo etiamnum latent Sinu retenta? quid artibus tecum malis Hic me agere velle fingis?	890
Ann.	an alias potest Docere Roma? et esse te Civem bonum An censisset illa, si coleres bonas?	895
Nas.	Sibi imperare, fervidos animi sui Reprimere motus nobili fractos iugo, Iniuriosae inanibus linguae probris Nil commoveri, semper aequali gradu, Quo ratio dicit, tendere: has artes docet Romana virtus, has colere toto studet Nasica corde, has optimum Romae hostibus Odio efferatis curat exemplum dare.	900
Ann.	Ista documenta splendida Sophorum tibi Scire otioso licuit; Annibalem improbus Per alia traxit studia bellorum labor.	905
Nas.	Numerare laudes ipse praecentor meas Semper refugi; nunc tamen, quando ferus Mihi corda stimulis obstrigillator fodis, Monebo, Gallos, asperum bello genus, Romam et lacessere pervicax annis abhinc Plus quam trecentis, hac mea demum manu Exterminatos arva purgasse Itala Caesis triginta millibus ... sed, qui retro Relapsus abiit sermo, quin potius redit? Romam execraris, Annibal; quidquam boni, Pariente Roma, posse produci negas Credisque neminem esse Romanum et probum.	910
	At ipse iudex esto tamen, hominis probi Romanus egone fungar officium an securus. Tu mihi cruenta pectore indomito ferox Opponis odia, amarulentis tu probris Me durus agitas, tu malas artes vafra Versare mente me increpas. at ego interim	915
	Tibi redimere cogito vitam ac decus; Ego interim odia et fulmina in caput meum Conversa trahere, ne tuum feriant, velim.	920
		925

Ann.	Quorsum ista tendunt? ... pectus Annibal is fremit, Insueta patitur studia ... per sensus novos Distractus errat animus, incertus sui ... Quid struis? an ipsa, quae bona supersunt mihi Relicta, vincere odia Romanus paras?	930
Nas.	Odisse perge, si lubet; sed desine Calumniari laudibus dignum tuis. Annibal is hostes, nequid Annibali queant Nocere, Romanusque Romanos veto; Romanus ipsi victimam Annibalem paro Eripere Romae.	935
Ann.	et ergo Romanus potes	940
	Odisse Romam?	
Nas.	quin mihi, vel sic, tamen Amare Romam et esse Romanum licet.	
Ann.	Ille, ille vires superat humanas labor, Quem sequeris. obstant fata nec eodem simul Componi in animo Romam et Annibalem sinunt.	945
	Odium profundum, aeternus irarum dolor, Immensa spatia me inter et Romam iacent.	
Nas.	Sociare virtus Inferos potuit Deos Superosque media: Romam et Annibalem potest ...	
	At enim tua inter cor mihi incertum trahi Interque Romae fata, ne crede, Annibal.	950
	Quocumque publica Patriae se res movet, Idem ille cardo studia Nasicae regit	
	Regetque semper. hic, tuae cupiens quidem Salutis animus, ponere in tuto velit	
	Illam ipsam, acerbus quam furor circum intulit	955
	Patrios per agros caede fumantem manum; Nihilominusque Patriae fungi utilem	
	Intendit operam: turpibus captum dolis Aeternam in Vrbem sineret Annibalem rapi,	
	Simul pudendam infamiae sineret notam	960
	Recipere nostrum hoc, usque adhuc nitidum, decus.	
	Haec probra Romae eximere si felix queat Nasica, magno Patriae credat malo	
	Simul fuisse cautum; et Annibal is simul	965
	Meruisse laudes gaudeat.	
Ann.	purus tibi Et fraudis expers integris manat labris, Nasica, sermo. victa quos Dominam docens Carthago Romam invexit, ignoras dolos.	
	Consentit animus ori et os virtutibus, Quas animum habere rectum et ingentem decet.	970
	Nasica, magnus hodie in Annibalem venit	

	Tibi triumphus, nostra victrici mora Tu frangis odia. te satum Roma Annibal Romaque dignum Matre, praesentem videt Nec exsecratur; nique Romanus fores, Amare possit. in meum insidias caput Romanus ipse struere Romanos mones. Id ante visum scire Nasica iuvat Monitore. vitam tendere ultra nil moror: Satis superque Glorioe vixi meae. At mihi supersunt, ardua insignes fide, Me digni amici: hos morte desertos mea Si fors relinquo, protegere promptam manum, Nasica, sponde.	975
Nas.	spondeo.	
Ann.	satis est. magis	980
	Me recreat ista sponsio; et mihi plus habet Fiduciae, ipse Prusias quam si daret. Nunciam efficacem quamlibet operam potest.	
Nas.	I, sequere vero fata, qua monstrant viam; Momenta gnarus arripe et, quando licet, Vitare propera sortis instantes minas. Age, fuge. quo te versat afflictum loco Fortuna, celerem nulla comitantur fugam Opprobria ... sed enim, praemoneo, ne quis, cave, Dum fugis, in hostes caecus impellat furor.	990
	Quicquid litabis, Roma quod doleat, meum Hoc vulnus erit; ubicumque Romanus crux Fundetur, ultor adero.	995

### Scena sexta

Annibal

Ann.	quis superstes novus Mihi hauriendus sortis ingratae labor? Cedimus? an ipsos usque perstamus Deos Repellere hostes cumque fatis congredi?	1000
------	---	------

## Scena Septima

Annibal, Clodomarus

- Clod. Romanus Vrbem Miles obsessam tenet,  
 Vias per omnes fusus excubias agit  
 Aditusque claudit. hinc tamen facilis patet  
 Et non inulto et nobili effugio locus. 1005  
 Etiam supersunt, bella qui tentent, viri  
 Rumpentibusque dirigant dextris iter.  
 Nobis in Vrbe Turma Gallorum latet  
 Furtiva, Prusiae ipsa Regalis Cohors,  
 Nuper recepti te Duce triumphi memor, 1010  
 Fremit arma et iras, deserit Annibalem fero  
 Conquesta luctu. his, Annibal, animos, ades,  
 Incende praesens.
- Ann. quo rapis, propero volens.  
 Dum spiritus adhuc vividus membra haec regit,  
 Vbi ubi excitare liceat in Romam faces, 1015  
 Subiicere flamas ardet odiorum furor.

## Actus quintus

### Scena prima

Annibal, Clodomarus

- |       |  |      |
|-------|--|------|
| Ann.  | Clementer odit, regere qui odium non potest.<br>Periculosam fortis incoerti aleam,<br>Vbi venit exequenda, deproperet furor;<br>Sed dum paratur, premere consilio iuvat.<br>Vidi subactos igne generoso viros,<br>Vidi eloquentes frontibus torvis minas.<br>Sed proderit enim reprimere etiamnum impetus<br>Properantibusque iniicere prudentes moras.  | 1020 |
| Clod. | Nec metuis, animos ne pigrae extinguant morae?   | 1025 |
| Ann.  | Accendere valet igne redivivo Annibal<br>Cineres sepultos ... sed tamen metui locum<br>Secludat omnem Clodomarus. ubi res feret,<br>Erumpet ardens Miles ad nutum Ducis.<br>Retentus ignis qui fuit, furit amplius.<br>Provise, ne quid peccet imprudens amor<br>Promptae ultionis. omnia inductis eant<br>Protecta velis; consilia, taciti doli<br>Et erudita silentia furorem regant.<br>Male temperatus furor in auctores reddit. | 1030 |
|       | Penitus sub imis odia pectoribus frement<br>Captiva, motus ipsa frons similes sibi<br>Serena pandat, omnem et excludat procul<br>Suspicionem ... Prusias velle alloqui<br>Monuit, nec ipse renuo ...   | 1035 |
| Clod. | praeterea potes  | 1040 |
|       | Tuum infideli temere proiectum caput<br>Praebere Regi?   |      |
| Ann.  | adesse si coram negem,   | 1045 |
|       | Postquam rogavit, suspicax inde augeat<br>Suos timores et oculo lustret magis<br>Periculo nostra, quae tenebris egent,<br>Consilia. caeterum Annibal notus tibi<br>Satis esse debet, temere qui tentet nihil.<br>Clodomare, socios, i, frementes contine.<br>Mox adero, mox rapidum agmen in furias agam.  |      |
| Clod. | Abscedo ... sed tu, magna, quicumque es, Deus,<br>Qui fata curas Annibal: illum, precor,<br>Memento pulsis reddere incolumem dolis.  | 1050 |

## Scena secunda

Annibal

- Ann. Non parte ab illa nunc mihi fulmen venit  
Cavendum. inerti evadere Annibalem fuga  
Non posse nec animum ista nec odium pati  
Nasica sensit. obviam stabit vigil  
Et frangere omnes impetus fortis queat ...  
Sed quicquid anceps aleae casus feret,  
Opponere tamen placeat hostem se mihi  
Dignum Annibale Romaque meliorem sua. 1060

### Scena tertia

Annibal, Prusias

- |       |  |      |
|-------|--|------|
| Prus. | Nunciam infideles hic strui artificum dolos,<br>Vidente me et probante, ne querere, Annibal.<br>En, ipse, quicquid Roma molitur, palam<br>Tibi retegendum, amicus Annibalis simul<br>Simulque Romae fidus interpres, fero.   | 1065 |
| Ann.  | Egregia vero munera implentur tibi<br>Et Rege digna!   |      |
| Prus. | Romae et Annibalis bonam<br>Curare pacem, hoc Prusia indignum putas?   |      |
| Ann.  | Mandata Romae capere servilem in modum,<br>Deferre, promulgare, quo Roma imperat,<br>Hanc Rege curam, hanc Prusia indignam puto ...<br>Sed forte inanis fallit incautum metus;<br>Mens forte praeceps temere subiectam arripit<br>Causam querendi ... falsus o utinam siem!<br>Ergo age, sequester esto. quicquid habes, doce<br>Sensusque dubios luce plana, si potes,<br>Convince. | 1070 |
| Prus. | vitae quemlibet agendum tibi<br>Cursum reservant fata, vacuum te omnibus<br>Demum periclis ponere in tuto, otium<br>Cum dignitate poscere Annibali, dies<br>Placidosque dulcesque facere nec inglorios,<br>Haec cura me sollicitat, hic meus est labor.  | 1075 |
|       |  | 1080 |

	Et ipsa sedem Roma sponte sua velit Asserere propriam, qualis Annibalem decet. Sin refugit animus Vrbis invisae Lares Videre, tellus Ausonia quaqua patet, Eligere fas est commodum hospitio locum.	1085
Ann.	Aliquasne latebras Ausonia tellus habet, Quas non replerit illa fatalis manus Luctibus acerbis? hucque praeterea tamen Suadere possis quaerere hospitio locum? Quam victor annis quindecim totis vago Furore belli afflixit, huic Genti Annibal Captivus hospes fata concredat sua?	1090
Prus.	Neu qua nocere perfidum tentet scelus, Defensor aderit quisque Romanus tibi.	1095
Ann.	Mihi nocere quisque Romanus velit, Optetque Roma scelere pretioso frui.	
Prus.	Cum iam supremos occupet rerum gradus Omniaque vasto Roma dominatu premat, Haec scelera, quae tu loquere, fieri si placet, Quis esse nisus impedimento queat? Quod Roma sceleris quidpiam nunc haud velit Patrare, nunquam deinde volitaram probat.	1100
Ann.	Sed nunc scelestis fraudibus plena et dolis Consilia non versare Romam, quis probet?	1105
Prus.	Ego ipse.	
Ann.	tu nempe, artibus quem iam malis Tenet impeditum!	
Prus.	has, Annibal, per me licet, Queis Roma vincit, has malas artes voca. Sed tamen easdem, penitus ut fuerint malae, Nil prodere foras, sacra quod iura arguant; Nil aggredi, quod ipsa virtus non iuvet, Ac posse, quicquid aggredi lubet, hoc scio.	1110
Ann.	Facile obtinetur quicquid ignavus timor, Offerre properat. Domina quod Roma exigit, Aude negare; Regii Rex nominis Aude tueri decora, vires viribus Opponere, hostem pellere hostili manu. Tum, Roma possit necne, quod libuit, scies.	1115
Prus.	Belli labores esse iam nullos super In orbe, magnis viribus Romae pares, Subacta longe cuncta terrarum docent Satis superque. vel arma Romulidum timet Vel iura adorat ultimum Mundi latus; Vel amore Gentes vel metu victas tenet	1120 1125

Regina Mundi Roma, Regnorum arbitra  
Regumque Domina.

Ann.	quo loco nunc sis, vide	
	Et erubescet, Prusia. imbelli manu, En, ista sceptrum, pondus ignavum, tenes. Vix fraudulentis Roma perstrepuit minis; Demittis animos, corde prostrato paves, Regnare cessas. subditos, iam non tuos, Romanus, ecce, Civis arbitrio regit Teque regit ipsum, quem tamen Regem vocat.	1130
	Adeone populus iste Romanus, vafer Tyrannus orbis, deiicit humili metu Regale pectus? ergone ultra si vetet Regnare quemquam Roma, credideris nefas Regem esse velle?	1135
Prus.	splendidam haec praestant boni	
	Speciem coloris verba; sed reputo leves Hos esse et omni pondere carentes sonos. Regnat sibique Prusias vitam prius Ait hauriendam, quam eripi sceptrum sinat. Me Roma, fateor, aliqua, quae nolle pati, Tolerare cogit; at leve admitti malum,	1140
	Quod vis superior ingerit, quaenam vetet Bene sana rerum ratio? quis sensus sagax, Quis Dignitatis Regiae prudens amor Tanto minores obiici nisus velit? Imperia perdit modica zelotypus furor,	1145
	Prudentia auget. velle, non quantum cupid Ambitio Regum tumida, sed quantum licet, Moderata rectae consilia mentis iubent.	
Ann.	Haec monita, quae tam politica obtrudis mihi, Quanto valere debeant, novi parum. Nunc laudo neutiquam illa nec sperno tamen; Sed quando tempus instat et partem sequi Vel hanc vel illam cogit hic rerum status, Paulum opperire, dum redeo. brevis est mora; Quid satius agere credidero, notum dabo.	1155
		1160

## Scena quarta

Prusias

Prus. Ingenium acerbum flectere in melius, feram  
 Domare demum visus est mentem Annibal.  
 Persentit esse iam sibi nullum super  
 Romae nocendi irasque laxandi locum.  
 Hinc vetera forsan abiicere nunciam parat  
 Consilia, forsan longa mutatus brevi  
 Dedisce animus odia, perniciem sibi  
 Cum cuncta clamant ingruere, acutum videt  
 Ipse furor ultroque replicat retro gradum,  
 Timidus procellae ...

1165

## Scena quinta

Prusias, Flamininus, <Scipio> Asiaticus

Flam. Prusia, facilem tuis  
 Auremne victus Annibal monitis dedit?  
 An perstat hostis durus, odiorum tenax?  
 Prus. Hinc inde comprimentis angusta Annibal  
 Coactus intra spatia Fortunae fremit  
 Inhorruitque ut Lybicu, obstantes plagas  
 Qui rumpere olim tentat incassum, leo.  
 Neque tamen ullo iam impetu sortem velit  
 Exasperare, sed animo secum truces  
 Resorbet iras; et, sibi postquam nihil  
 Superesse vidit, quod furores in suos  
 Conducere queat, qua licet demum via  
 Efficere, totum tristis ut ne se obruat  
 Penitus procella, hac ibit, hac portum petet.  
 Vt sapere vellet et bonam Romae in fidem  
 Permitteret se ac res sibi faceret ratas,  
 Modo me, rogatus, audiit placide et brevem  
 Optavit, ista ut omnia expendat, moram;  
 Certumque super his ipse responsum ferens  
 Mox aderit.

1170

1175

1180

1185

Asiat. aliquis hic esse praetextus potest  
 Mentis dolosae.

Prus.	at ille quos autem dolos Fabricare possit, spes ubi nulla est super Dolis fruendi? Miles excubitor vias Romanus omnes atque Bithynus tegit Clauditque: nullus aditus effugio patet.	1190
Asiat.	Fors cedat hic vulgaris heroum labor; Sed Annibal enim non viam heroum terit Vulgarem: in ipsum possit eniti arduae Necessitatis verticem. et quisnam sciat, An non, peritus dissolutas artifex Res integrandi, struxerit belli dolum Hac ipsa in Vrbe et ex tuis aliquos data Fide obligatos in suas partes trahat?	1195
Prus.	Extorris, exspes Annibal mutet meos?	
Asiat.	Mutare et ipsos forte Romanos queat.	
Flam.	Vt obstruatur noxiae fraudi locus, Nunciam amputari iuverit inertes moras. Annibalem amica, Roma quam spondet, domo Tuum est monere, Prusia, ut recipi velit; Sin renuat, ipsum cogere invitum tamen Vinctumque Romam trahere quamprimum ratum est.	1205
Prus.	Violenta mitte consilia: res non eget. Viso ipse, quid agat; nec reluctantem, tibi Vt obsequatur, precibus adducam meis.	1210

## Scena sexta

Flamininus, <Scipio> Asiaticus

Flam.	Quod petimus ambo, an obiices ullos putas Vltra impedire posse, quin liceat frui? Illa, illa, quondam pasta Romano diu Cruore, Romam inermis intrabit fera; Tantaque praeda uterque coememus bonos Patriae favores memoris. hoc etenim libens,	1215
	Asiatice, lucri quicquid est, tecum velim Communicare; neve laudem operis boni Fructumque solus occupare intenderem, Frustra timebas: omnis in partem rei Et te venire ipsumque Nasicam iuvet.	1220
Asiat.	Suspicionem, Flaminine, hinc iam procul Omnem remisi ... at iste quid Miles pavens? ...	1225

## Scena septima

Flamininus, <Scipio> Asiaticus, Miles

- |        |  |      |
|--------|--|------|
| Mil.   | Terribilis, atrox Annibal ...  |      |
| Asiat. | perge eloqui.  |      |
| Mil.   | Implevit Vrbem caede. Romanus cruar<br>Profusus ense perfido tinxit vias ...   |      |
| Flam.  | Superi! execrandam an ipse Rex fraudem? ... at doce,<br>Quaecumque defers.   | 1230 |
| Mil.   | Annibal postquam obvio<br>Fugam repellit Milite Vrbisque exitus<br>Circum undique omnes esse praeclusos videt,<br>Sibi suisque sternere aggreditur viam<br>Vi fraudulenta. Regiam in partes suas,<br>Clam Rege, Turmam fraude corruptam trahit.<br>Legit parandis commodum insidiis locum,<br>Latebras silentes horridae, antiquae specus;<br>Hinc, veluti ab antris excitae infernis ruant<br>Eumenides, agmen ense districto ferox | 1235 |
|        | Repente rumpit. Militem primo impetu<br>Victum propulsant; plurimos dedunt neci,<br>Reliquos adurget trepidus effusos pavor<br>Et huc et illuc temere palantes agit.<br>Nasica, rapidi fulminis ad instar, volat;  | 1240 |
|        | Ducemque lecta Militum sequitur Cohors ...<br>At ecce, vobis iam redux victor subit.   | 1245 |
|        | <i>Triumphalis auditur sonus.</i>  |      |

## Scena octava

Flamininus, <Scipio> Asiaticus, <Scipio> Nasica, Miles

- |      |  |      |
|------|--|------|
| Nas. | I, nostra, Miles, iussa properentur, mone:<br>Huc mihi fidelis praestet incolumem manus<br>Annibalem et una Perseum et Gallos Duces; |      |
|      | Ac, ne quis ausit ludere in captos furor,<br>Provise ...   | 1250 |

## Scena nona

Flamininus, <Scipio> Asiaticus, <Scipio> Nasica

Nas.	noster auspices habuit Deos Et esse meruit utilis Romae labor. Crudo efferatum Marte, Romulidum sacro Odiis litantem sanguine Annibalem suis Celer occupavi, vindice oppressi manu Victumque cepi.	1255
Flam.	at Annibal quicquid modo Patrare voluit, credis insontem mali Fuisse Prusiam?	
Asiat.	ipsa Regalis Cohors Scelere implicata Prusiam insontem negat.	1260
Nas.	Regem abstinete sceleris ullius reum Existimare, vestra qui certus nimis Implere iussa, sceleris incurrit notam. Periurus hospes, res ubi periit sua, Nil haesitavit hospitem Annibalem suum	
	Deserere; et omnem ut tolleret vobis locum Suspicioni<s>, Milites ipse ingruens Vltor cruenta strage multavit suos; Qualemque vobis pendere institerit fidem,	1265
	Grave, sibi factum ab Annibale, vulnus probat ...	
Flam.	En, prodit Annibal, iram adhuc spirans trucem.	
Asiat.	Pudet intueri.	
Flam.	vultus hic tonat. hinc pedem Retro feramus.	

## Scena decima

<Scipio> Nasica, Annibal, Milites

Ann.	uterque discessit bene. Foedo aestuabat motus aspectu furor ... Nasica, fruere, decora victoris cape Laudesque victi. strenui officium Ducis Simulque Civis functus es munus boni. Annibalem inquis persequi invisum Deis Fortuna constans, hac die properat suo	1275
------	--	------

Cumulum furori ponere. at quaedam tamen  
 Bonitas labores hos mihi extremos levat;  
 Quod te Ministro ...

1280

### Scena undecima

<Scipio> Nasica, Annibal, Perseus,  
 Boiorix, Lugdunus, Clodomarus,  
 Milites

Pers.	huc ergo sublapsos retro	
	Inimica nostros fata conatus ferunt,	
	Annibal!	
Boio.	ut omnis perierit labor, haud piget.	
Lugd.	Nos animus idem cogit in partes tuas	1285
	Victosque captosque.	
Clod.	et sumus, vel sic, tui.	
Ann.	Nasica, sponsam nunc mihi praesta fidem:	
	Hos expediri turpibus vinclis iube	
	Reddique satage patrio incolumes solo.	
Nas.	<i>Vinctos liberat.</i>	
	Estote salvi et liberi ... tuque, Annibal,	1290
	Hinc perge, fata sequere tua, quaqua lubet.	
	Illa ipsa, quae te dextra modo fecit meum,	
	Tibi laborat facere nunc, ut sis tuus.	
Ann.	Nam quid agis? aequo iure belli me obtines.	
Nas.	Nec obtinerem, ni malus forte hostium,	1295
	Vt arma caperes, te coegisset dolus.	
Ann.	Ten’, Roma, tantam aluisse virtutem mihi? ...	
	Nasica, principem inter heroas locum	
	Tibi resignat Annibal ... fruere; et vale.	
Clod.	Superi! quis horror mutat hunc totum?	
Nas.	heu! color	1300
	Errat per ora luridus.	
Pers.	vive, Annibal.	
Ann.	At egone, vitam ius ubi primum in meam	
	Habere coepit Roma, dubitassem mori?	
	Generosus auctor ipse properatae necis	
	Morior; venenum hoc annulo inclusum ebibi ...	1305
	Nasicae amicus morior ... at Romam execror.	
Boio.	Fluxere vires.	
Lugd.	atra mors oculis natat.	

- Ann. Age, Roma, Mundum invade ... diuturnos metus  
Depone ... vixi.
- Nas. spiritus fugit labris.
- Boio. O triste facinus!
- Lugd. o sacer luctu dies!
- Pers. Nasica, nostris usque pectoribus memor  
Tibi favebit animus. at Romae simul  
Aeternus iras pascet ultrices dolor.
- Nas. Romana virtus hostium vires domat  
Et ipsa vincit odia cumulando bonis. 1315

<Finis>

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Mannheimer Handschrift von ca. 1743-1748 mit deren originalgetreuer, digitaler Erstausgabe von Schibel im Mannheim-Heidelberger MATEO-Projekt ([www.uni-mannheim.de/mateo/desbillons/annibal.html](http://www.uni-mannheim.de/mateo/desbillons/annibal.html) mit den ersten 11 Seiten des Manuskripts; entsprechend auf der MATEO-CD ‘Alte Drucke aus der Universitätsbibliothek Mannheim’, 1996). Die htm-Fassung wurde für diese Ausgabe benutzt, die leicht verschobene Verszählung korrigiert; die vollständige Handschrift mit ihren 59 Seiten wurde verglichen. Auf dem ersten Blatt findet sich folgender Zusatz, wohl von anderer Hand, d.h. einem Freund des Verfassers (N. Caux de Cappoval, vgl. Schibel): „Bonne tragédie latine, pleine de mouvemens et de chaleur, par la grande âme d’Annibal qui se répand partout; mais par malheur la Pièce se trouve arrangée pour le Collège; elle n’a pas cette supériorité de forme, que demande un grand théâtre du monde; en quoi le Père des Billons suit le Père de la Rue, qui, comme Jésuite, excelle en ce genre; c'est encore un très bon Manuscrit pour une grande Bibliothèque.“

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktions wurden jedoch - anders als in Schibels Edition - überarbeitet und vereinheitlicht, auf Akzente wurde verzichtet. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*. Groß- bzw. Kleinschreibung wirkt im Original teilweise willkürlich (am Versanfang durchgehalten nur für ca. 100 Verse). Gemäß mehrheitlicher Schreibungen groß geschrieben wurde: 68 *Patria*, 99 *Classe*, 128 *Vrbe*, 168 *Vrbes*, 229 *Mundum*, 244 *Patria*, 263 *Indole*, 276 *Gentes*, 414 *Comes*, 626 *Gloria*, 641 *Sophis*, 649 *Patrem*, 659 *Vmbra*, 771 *Punicos*, 795 *Ponto*, 975 *Matre*, 981 *Gloria*, 1029 *Miles*, 1124 *Mundi*, 1125 *Gentes*, 1201 *Vrbe*, 1228 *Vrbem*, 1232 *Milite*, 1232 *Vrbis*, 1246 *Militum*, 1267 *Milites*, 1308 *Mundum*; klein dagegen: 15 *res*, 19 *causa*, 24 *maria*, 35 *belli*, 44 *decus*, 60 *populi*, 80 *iras*, 94 *terrarium*, 123 *illa*, 126 *ipse*, 145f. *orbe(m)*, 147 *iugo*, 172 *etiamnum*, 179 *cordis*, 197 *reos*, 198 *periuros*, 199 *rates*, 211 *intrepidus*, 244 *carmina*, 264 *insignes*, 295 *arbitris*, 297 *exitus*, 343 *illa*, 352 *iste*, 360 *ille*, 360 *amici*, 421 *ire*, 422 *ratis*, 432 *iuga*, 439 *ipse*, 453 *agros*, 467 *cineres*, 497 *victori*, 498 *imperante*, 507 *illa*, 507 *decora*, 538 *rates*, 543 *iratae*, 547 *iudicum*, 564 *revinctum*, 618 *ille*, 629 *auctorem*, 637 *armis*, 643 *indocilem*, 644 *imperantum*, 645 *mare*, 674 *eloqui*, 693 *capita*, 695 *capita*, 704 *ire*, 713 *bellum*, 726 *corda*, 762 *ius*, 763 *tabellis*, 770 *ille*, 788 *decus*, 820 *infidi*, 844 *amici*, 862 *virtus*, 872 *climacter*, 902 *ratio*, 903 *virtus*, 948 *virtus*, 927 *redimere*, 943 *ille*, 962 *decus*, 987 *ipse*, 1011 *iras*, 1048 *i*, 1065 *interpres*, 1083 *ipsa*, 1089 *illa*, 1112 *virtus*, 1179 *iras*, 1183 *ibit*, 1190 *ille*, 1195f. *heroum*, 1216 *illa*, 1227 *eloqui*, 1248 *iussa*, 1251 *captos*, 1298 *heroas*, 1314 *virtus*. Die Reihenfolge der Darsteller wurde geändert statt 1,2 *AnPar*, 5,3 *PAn*; ergänzt wurde 3,2, 3,3, 4,5 und 5,5ff. *Scipio*.

16	<i>quid</i> Schibel statt <i>quit</i>
167	<i>quadringentas</i> Schibel statt <i>quadringintas</i>
222	<i>servavi</i> Schibel statt <i>sevavi</i>
324	<i>imo</i> statt <i>immo</i> Schibel
339	<i>eundem</i> Beck statt <i>eudem</i>
444	<i>Ingaevonas</i> Schibel statt <i>Ingaenonas</i>
749	<i>imo</i> statt <i>immo</i> Schibel
1007	<i>dirigant</i> Beck statt <i>diligant</i>
1264	<i>periit</i> Beck statt <i>petiit</i>
1267	<i>suspicionis</i> Beck statt <i>suspicioni</i>
1297	<i>ten'</i> Beck statt <i>te'n</i>

‘Komma’ gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: 11, 11, 32, 35, 42, 45, 52, 71, 73, 74, 77, 81, 81, 82, 83, 84, 89, 89, 90, 90, 100, 107, 141, 147, 149, 156, 157, 168, 179, 185, 192, 209, 209, 210, 217, 221, 224, 229, 229, 232, 240, 243, 248, 249, 254, 262, 264, 270, 270, 271, 271, 273, 277, 280, 282, 286, 289, 292, 294, 309, 312, 315, 315, 316, 316, 316, 317, 324, 328, 333, 351, 359, 362, 363, 364, 373, 395, 400, 411, 411, 419, 430, 431, 434, 434, 436, 437, 438, 438, 443, 472, 474, 476, 478, 489, 493, 496, 500, 503, 516, 517, 535, 538, 541, 543, 555, 558, 587, 611, 614, 619, 637, 641, 658, 668, 680, 691, 693, 714, 716, 728, 732, 734, 735, 739, 742, 745, 746, 751, 785, 789, 791, 791, 795, 804, 842, 845, 846, 857, 857, 857, 862, 865, 872, 872, 878, 879, 880, 880, 888, 922, 942, 944, 953, 970, 974, 1001, 1003, 1005, 1006, 1023, 1033, 1055, 1056, 1060, 1062, 1064, 1066, 1081, 1081, 1099, 1119, 1123, 1123, 1125, 1126, 1133, 1141, 1142, 1156, 1157, 1158, 1164, 1169, 1184, 1185, 1193, 1201, 1209, 1224, 1232, 1243, 1250, 1250, 1252, 1256, 1275, 1276, 1286, 1290, 1314

‘Komma’ gestrichen nach: 5 *fortis*, 151 *quas*, 151 *Thraciae*, 158 *nobilis*, 180 *robur*, 221 *timendus*, 227 *ferus*, 230 *mea*, 254 *quod*, 255 *debitam*, 296 *eunt*, 323 *spes*, 360 *ille*, 360 *credite*, 362 *Cannae*, 416 *impetus*, 481 *sepulchrum*, 500 *coegi*, 501 *viris*, 511 *terrarium*, 537 *sociis*,

- 574 *Capitolium*, 575 *captos*, 589 *statu*, 593 *doli*, 725 *propositum*, 733 *Annibal*, 742 *cupit*, 787 *suisorias*, 846 *Romulidum*, 877 *rigor*, 880 *communicare*, 938 *Romanos*, 1055 *pati*, 1158 *illam*, 1163 *super*, 1164 *laxandi*, 1224 *Nasicam*, 1255 *suis*
- ‘Komma’ ergänzt: 8, 8, 16, 23, 36, 57, 75, 90, 105, 120 *et*, 172, 208, 266, 266, 267, 341, 360, 382, 393, 398 *venit*, 439, 441, 526 *multa*, 597 *id*, 622, 631 *heu*, 632, 649, 674, 692, 713 *quam*, 735, 735, 743, 753, 763, 763, 764, 764, 780, 798, 798, 803, 818 *quae*, 865, 865, 868 *malis*, 876, 943 *labor*, 989 *fata*, 994 *quis*, 1050 *magna*, 1063 *en*, 1114, 1128 *manu*, 1129 *en*, 1133, 1133, 1179, 1247, 1248 *properentur*, 1271 *en*, 1293
- ‘Komma’ statt ‘Punkt’: 868
- ‘Komma’ statt ‘Doppelpunkt’: 80, 130, 175, 181, 191, 196, 214, 220, 221, 265 *viros*, 288, 392, 404, 467, 468, 545, 587, 594, 603, 621, 669, 710, 741, 768, 804, 827, 833, 883, 930, 973, 984, 1009, 1037, 1040, 1049, 1166, 1242, 1275 *fruere*
- ‘Komma’ statt ‘Strichpunkt’: 14, 18, 53, 59, 64, 94, 99, 119, 128, 138 *appuli*, 214, 233, 253, 259, 278, 298, 321, 343, 349, 350 *impotens*, 353, 361, 370, 377, 385 *amplecti*, 393, 394, 394, 396, 417, 451, v472, 498, 502, 514, 522, 540, 562 *procul*, 568, 569, 592, 609, 634, 643, 662, 681, 687, 701, 720, 722 *vide*, 731, 731, 747, 772, 807, 808, 845, 855, 891, 898, 899, 901, 903, 904, 921, 924, 925, 960, 987, 1002, 1043, 1058, 1075, 1082, 1086, 1112 *iuvet*, 1113 *lubet*, 1131, 1131, 1158, 1178, 1181, 1233, 1284
- ‘Punkt’ ergänzt: 763, 763, 763, 987
- ‘Punkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 17, 40, 55, 110, 127, 171, 183, 205, 219, 229, 276, 348, 376, 392, 412, 425, 449, 464, 483, 539, 551, 565, 573, 604, 614, 620, 657, 696, 721, 748, 762, 828, 831, 840, 851, 860, 867, 887, 920, 926, 944, 951, 1028, 1032, 1109, 1118, 1128, 1132, 1155, 1164, 1280, 1312
- ‘Punkt’ statt ‘Strichpunkt’: 225, 773, 1159
- ‘Strichpunkt’ gestrichen: 67 *perfida*, 85 *incendio*, 95 *orbis*, 119 *minas*, 190 *excors*, 228 *miscui*, 232 *opes*, 341 *credere*, 378 *tecta*, 406 *fores*, 454 *traham*, 469 *inquieta*, 485 *favorem*, 495 *opes*, 520 *Roma*, 542 *audit*, 575 *solet*, 663 *implet*, 709 *ultionis*, 711 *messas*, 740 *laboret*, 749 *debet*, 755 *excipis*, 756 *iungis*, 811 *virorum*, 834 *rogo*, 852 *tamen*, 919 *negas*, 975 *videt*, 990 *arripe*, 1044 *timores*, 1055 *posse*, 1127 *vide*, 1174 *fremit*, 1175 *inhorruitque*, 1288 *iube*
- ‘Strichpunkt’ statt ‘Punkt’: 298, 718, 1124
- ‘Strichpunkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 10, 18, 68, 93, 161, 182, 185, 188, 209, 243, 295, 335, 345, 349, 355, 367, 403, 422, 426, 447, 460, 523, 547, 584, 653, 656, 695, 712, 719, 744, 763, 767, 772, 813, 829, 842, 870, 875, 907, 910, 938, 976, 989, 997, 1019, 1033, 1116, 1145, 1156, 1159, 1187, 1195, 1208, 1212, 1217, 1238, 1242, 1250, 1268, 1305
- ‘Doppelpunkt’ gestrichen: 388 *fluxit*, 763 *crede*, 828 *vide*, 1075 *doce*
- ‘Doppelpunkt’ statt ‘Strichpunkt’: 192, 206, 1051
- ‘Klammern’ gestrichen: 382 *sperate socii*, 631f. *heu ... fratri*, 831 *usque ... sinit*
- ‘Gedankenstriche’ ergänzt: 8, 8, 230, 230, 323, 323, 360, 360, 381f., 631f., 831